



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cavtio Criminalis, Seu De Processibvs Contra Sagas Liber

Spee, Friedrich von

Francofurti, 1632

1. An Sagae, Striges, seu Malefici reuera existant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11133



CAVTIO CRIMINALIS

SEV

De Processibus contra Sagas

L I B E R.

D V B I V M I.

*An Sagæ, striges seu malefici reuera
existant?*

RESPONDEO, Quod sic. Etsi enim scio nonnullos in dubio posuisse, etiam Catholicos & doctos quos nominare non attinet: et si etiam quidam non temere suspicari sibi videntur, fuisse aliquando in Ecclesia ea tempora in quibus de corporalibus Sagarum conuentibus creditum non fuit: Etsi denique ipse ego dum cum variis eius criminis reis in carceribus egi frequentius ac attentius, ne dicam, curio-

B sius,

2 Dubium I. An sage seu malefici

fius , ita non semel animum inuolui , vt
quid tandem huius rei crederem pene
ignorauerim , nihilominus vbi summam
tandem colligo perplexarum cogita-
tionum , id omnino tenendum existi-
mo , reuera in mundo maleficos aliquos
esse , nec id sine temeritate , ac preposte-
ri iudicij nota negari posse . Videantur
auctores , qui argumentum hoc profi-
tentur , Remigius , Delrius , Bodinus , &
alij : nostri instituti non est hic morari .
Tot autem esse & eas omnes , quæ hac-
tenus in fauillas euolarunt : neque cre-
do vel ego , vel multi quoque mecum
pij viri , neque adeo vt credam facile
persuadebit , quisquis mecum non im-
petu & clamore vel authoritate perten-
dere , sed iudicio & ratione rem exami-
nare volet . Id quod lectorem meum
velle , per eam charitatem , quam legifer
noster Christus vehementer voluit in-
ter asseclas suos accendi , maximopere
precor . Si quis zelum habet , & frendet
in magiæ crimen , comprimat se tantisper ,
& addat zelo scientiam ac confide-
rationem , quam fortasse non habet .

Non

Non omnis impetus à virtute est , nam & quidam à natura solum. Virtus moderata & modesta est , atque amat instrui, nec ideo minor esse timet,cum sit instructior. Quod si impetu ruimus,&, quia scire omnia apprehendimus, detrectamus discere , quid est mirum si nos veritas in multis fugit? Age lector, & seposito præiudicio modestè sequere quo te manu mea pedetentim ducam: non pigebit multa lentè & morosè considerasse.

D V B I V M II.

*Pluresne Sagæ seu malefici in Germania
sint ac alibi?*

RESPONDEO, Questio est de re quam nescio : dicam tamen verbo otij eludendi causa quod occurrit. Itaque videntur saltem & putantur plures in Germania ac alibi reperiri.

RATIO est. Nam imprimis constat in Germania passim fumare omnia incendiis, quæ hanc luem depascant, claro vti que argumento quam latè omnia afflata esse fateantur : Ita quidem ut non